

42. /. cum Semidiametro Lunæ ibi apparente 13. /. 30. //. assu-
matur. Sed cum tota sint in ratione suarum partium similium
Eucl. V. 1. ipsa diameter Terræ erit ad diametrum Dæ ut 100.
ad $26 \frac{1}{5}$ cumq; per 19. *V. 1. Euclid. figura plana similes sint in dupli-*
catâ ratione homologorum laterum, quibus & diametri circulorum
annumerantur, sequitur discum Terræ ad discum Dæ esse ut
100000000. ad 6853924. adeoque 15. ferè majorem.

Cœterùm ut discus Terræ lunarem verâ suâ magnitu-
dine 15. ferè superat, ita visus ille discus ex Lunâ necessariò to-
ties etiam major apparet, quàm hic vicissim ex Terrâ specta-
tus. Ut enim æquales magnitudines ex æquali intervallo si-
miliq; situ visæ, æquales apparent; ita inæquales ex æquali
distantiâ situq; simili spectatæ suam quoq; servant inæ-
qualitatem, eandemq; proportionem, quâ se mutuò verè
concernunt, oculis etiam æqualiter remotis exhibent, angu-
lis visoriis eandem proportionem servantibus, quam habent
ipsæ magnitudines inter se.

Dico in simili situ: nam si diversus fuerit situs, res æ-
quales ex eâdem distantia inæquales apparent, nisi circulo
determinata sit illa diversitas; inæquales contra nonnun-
quam æquales videntur, ut *Opticæ* peritis notum est. Cum
igitur prædicti disci ex se mutuò spectati non tantùm ex æ-
quali videantur intervallo, sed & in simili situ (disci enim glo-
borum eminus observatorum semper in situ perpendiculari
ad radium visivum se sistunt) non possunt non eandem etiam
inter se magnitudinis apparentis proportionem servare. Fo-
ties igitur major apparet è Lunâ spectatus discus Terræ,
quàm vicissim ex Terrâ visus lunaris, quoties ipse verâ suâ
magnitudine hunc superat, nempe decies quinquies ferè.

Sed jam ex ipsa Luna Terram spectabimus, angulum
diametri Terræ apparentis æstimaturi. Sit igitur *observatori-*
um nostrum in medietate lunaris disci, nempe secundum schema
prædi-